

INCIPIT LIBER

MARBODI EPISCOPI

DECEM CAPITULORUM.

CAPITULUM PRIMUM

DE APTO GENERE SCRIBENDI,

(Ex editione Redonensi an. 1214).

Quæ juvenis scripsi, senior, dum plura retracto,
 Pœnitet, et quædam vel scripta, vel edita nollem,
 Tum quia materies inhonesta levisque videtur,
 Tum quia dicendi potuit modus aptior esse.
 Unde neo inventu pretiosa, nec arte loquendi,
 Vel delenda cito, vel non edenda fuissent.
 Sed quia missa semel vox irrevocabilis exit,
 Erroremque nefas est emendare priorem,
 Restat ut in reliquum jam cautior esse laborem
 Nec quid inornate, vel ne quid inutile promam;
 Præcipue quia jam veniæ locus esse nequibit,
 Qui quondam fuerat, dum stulta rudisque juvenus,
 Et levis, in culpam poterat toleranda videri.
 Nunc vitæ studique simul diuturnior usus,
 Acris expectat rigidi censoris acumen.
 Ergo propositum mihi sit, neque ludicra quædam
 Scribere, nec verbis aures mulcere canoris;
 Non quod inornate describere seria laudam,
 Sed ne, quod prius est, neglecto pondere rerum,
 Dulcisonos numeros, concinnaque verba sequamur.
 Est operosa quidem, multisque negata facultas,
 Ut rerum virtus, verborum lege subacta,
 Servetur, verbisque canor sub rebus abundet;
 Quod jugi studio tunc affectare videbar.
 Sed mihi nunc melius suadet maturior ætas,
 Quam decet ut facili contenta sit utilitate,
 Utque supervacuum studeat vitare laborem.
 Est aliud quare puto continuare canoros
 Versus absurdum, quoniam color unus ubique
 Nil varium format, sed nec pictura vocatur,
 Imo litura magis, quia delectare videntes
 Res variæ, raræque solent; sit copia vilis.
 Ergo diversos scriptis adhibere colores,
 Et variare stylum, plus laudis habere putamus.
 Nec tamen hoc solo carmen laudabile constat;
 Nam lex scribendi recte, tria postulat. Ut sit
 Perspicuum, vitioque carens, ac schemate vernans.
 Quod qui consequitur, sit dulcis et utilis idem,
 Et retinere potest animos auresque legentum.
 Hoc genus ergo mihi posthac propono sequendum,
 In quo plus laudis reor, et minus esse laboris.
 Nec tantum omnino me pœnitet illa secutum,

(24) Hildebertum amicum forte alloquitur.

A In quibus, exercens animum, sudare solebam;
 Nam gravior juveni labor aptior esse videtur
 Et citus a gravibus sit transitus ad leviora.
 Præterea juvenem cantare jocosa decebat;
 Quod manifesta seni ratio docet negatum,
 Cujus morali condiri verba sapore
 Convenit, et vitiis obaistere fronte severa.
 Ergo tenendo modum mediocris ubique figuræ,
 Jam nunc experiar, scripturus seria, verbis
 Non exquisitis, sed nec trivialibus uti;
 Altera nam vilem facit, altera res odiosum.
 Nec brevis, aut nimium cupiam prolixus haberi;
 Altera nam tenebras, res altera lædi gignit.
 1597 Nec mihi sit summus fas attentare poetas
 Nec nimis abjecte me deterioribus addam.
 B Humanæ primum vitæ de sorte loquemur,
 Et quæ sint hominum causæ, cur tempora currant;
 In quo non minimum fore credimus utilitatis,
 Ut cognoscat homo quo tendere debeat omnis,
 Cum dura sese genitum sub sorte queretur.
 Hæc spectanda tibi, præsul doctissime (24), mitto,
 Cujus judicium falli, vel fallere nescit.
 Si spectata probas, animos ad cætera sumam.
 Si secus, in reliquum tardo conamine surgam,
 Tu frenum super his mihi, vel calcaria pones.

CAPITULUM II.

DE TEMPORE ET ÆVO.

Post decies sextum currit mihi septimus annum,
 Ex quo de claustris uteri, ceu carcere cæco,
 Fuas in hanc lucem, vagitus edere coepi,
 Ita venturos fletu lætante labores;
 C Quod de communi nascentum colligo lege,
 Illius ætatis procerus nihil esse recordans;
 Quippe recente luto fluidæ mens obruta carnis.
 Torpet lethæo veluti depressa sopore;
 Quem tantum [/. tamen] excutiens paulatim, tem-
 [poris usu,
 Discit præsentis rerum discernere causas,
 Et de præteritis quædam pensare futura.
 Nec tantum ad plenum præfert rationis acumen,
 Ætati pueri succedit fortior ætas,
 Et calor ascendens firmat juvenilia membra,
 Virtutis reddens hominem, vitique capacem.
 Hic jam dividuo sulcatur tramite vita,
 Simplex hactenus, et puro deducta tenore;

Littora quod jam Y diviso vertice signat,
 Qui dextrum creta, lævum carbone notavit
 Ardua virtutem, vitium pars prona figurat,
 Descensu facili multos ad tartara mittens.
 Ast gravis in cælum labor est attollere gressus,
 Quo, nisi paucorum, nequit ardenscandere virtus.
 Ætatem sequitur juvenilem dicta virilis,
 Humanum corpus solidis quia viribus implet.
 Hic status est vitæ mortalibus, et quasi centrum,
 Ex quo præcipiti devolvitur orbita lapsu,
 Deficiensque calor sensus hebetando resolvit,
 Deciduos artus senio mortique resignans.
 Ecce per ætates produxi tempora quinque;
 Si tamen ætatum pars est infantia prima,
 Principium vitæ potius quam vita vocanda.
 Et mea deformis jam laxat membra senectus,
 In senium properans, et mortis ad ultima ducens.
 Quid misero prodest mihi tot vixisse per annos?
 Quid lætos duxisse dies, et tempora grata?
 Cum quidquid placuit fugiens avexerit hora,
 Nec tamen abstulerit mentem cruciantia; nam cum
 Gaudia transierint, operum stat pœna superstes
 Occultis plagis male conscia pectora torquens.
 Nec minor inde tamen pœnæ censura timetur,
 Cum miser exierit de corpore spiritus isto.
 Quid si præteritos vitæ replicare labores,
 Et varios morbos, ac tristia fata parentum,
 Ærumosque graves, et mille pericula rerum.
 Et male sollicito vigiles in pectore curas
 Commemorare velim, major mensura dolorum
 Fuscet, et obducit fugientis gaudia vitæ.
 Villa sanguinei primordia transeo partus.
 Prætereo cunas, pannorum fœda relinquo.
 Infantum flatus, nutricum sperno labores.
 Ad pueri propero lacrymas, quem verberare sævo
 Iratus cogit dictata referre magister,
 Dediscenda docens quæ conflinxere postas,
1598 Stupra nefanda Jovis, seu Martia adultera
 [facta,
 Lascivos recitans juvenes, turpesque puellas,
 Mutua quos junxit, sed detestanda voluptas.
 Imbuit ad culpam similem rude fabula pectus,
 Præventusque puer vitii ferventis odore,
 Jam cupit exemplo committere fœda deorum.
 Ergo cum primo genitali membra calore
 Fervida, cor juvenis, stimulante libidine pulsant,
 Frena pudicitia, nullo prohibente, relaxat,
 Ad lævum actus devexo tramite currens.
 Quod si post culpam moveat confusio mentem,
 Et velit in dextra vitio polluta reniti,
 Lubrica fixa luto vestigia culpa retentat,
 Assuetumque malo prohibet recto vertere gressum.
 Ergo per abruptum fertur miserandi juvenis,
 Crimina criminibus, seu mortes moribus addens.
 Quid referam species scelerum, perjuriam, furta,
 Sacrilegos ausus, cædes, incesta, rapinas?
 Plurima prætereo, quæ nec memoranda videntur,
 In quibus hæc ætas cæca se mente volutat.
 Sed neque vir factus facile concocta repellit

- A** Probra voluptatum, nisi quod reverentius optat
 Indulgere sibi, metuens dispendia famæ.
 Jam studiosus opum, vani studiosus honoris,
 Nec valet arbitrii virtute revincere pravum,
 Cui se sponte sua submitit criminis usum.
 Inde senectutem mala consuetudo molestat;
 Et cum jam coitus sibi sit subtracta voluptas,
 Utpote cui gelidus cohibet penetralia sanguis,
 Insatiata tamen prurit sub corde voluptas,
 Et petit affectu quod non procedit in actum.
 Sed nec opum solet in senibus minor esse cupido,
 Nec de prædictis est ambitiosior ætas;
 Quin et avaritiæ gravioris labe notatur,
 Dum victura minus, plus parcere sumptibus optat.
 Quæ mala fert senium, morti vicinior ætas.
- B** Decrepiti posunt deliramenta probare,
 Cujus ad infantum fragilis redit actio vitam.
 Nam prope sunt hominis similes occasus et ortus,
 Qui velut ex nihilo procedit in istam,
 Et velut in nihilum vita discedit ab ista.
 Ergo quid in vita placet hæc mortalibus ægris,
 Cujus ad occasum labor est ostensus ab ortu,
 Et pars nulla vacat, quam non mala multa mole-
 [stent?
 Quid placet ergo viris, qui sola caduca sequuntur?
 Nunquid concubitus? sed equos decet illa voluptas
 An cibus et potus? pecudes quoque talia querunt,
 Num populi favor? at nihil est velocius aura.
 Nunquid divitiæ? sed eas hinc auferre nequimus.
 Num formæ decor? at senio morbove latiscit.
 An potius diuturna placent hæc tempora vitæ?
C Sed non exspectat pars horæ prima secundam,
 Et nisi cum perit nequit integra jure vocari,
 Si longum tempus longum nihil esse probatur,
 Quid refert igitur paucis vel pluribus annis,
 Postquam transierint, vitam duxisse caducam?
 Bestiolas nasci perhibent in flumine Gange,
 Quarum membra luto surgens aurora figurat,
 Sol oriens animat, facit hora secunda moveri,
 Tertia jam vegetis ludos saltusque ministrat:
 At postquam summo radians stat Pœbus in axe,
 Hæ quoque perfecto vires in corpore sistunt:
 Hinc ubi sol currum devexam ducit in orbem.
 Pigrius incipiunt lusu cessante moveri,
 Et vigor exhaustos pedetentim deserit artus;
 Vespere jam facto, rugas dat pellis aniles,
- D** Et gravis incurvat titubantia membra senectus.
 At simul Oceani radios sol mergit in undis,
 Vita brevis tenues pariter discedit in auras,
 Unius tantum spatio porrecta diei.
 An non his similes animalibus esse videmur,
1599 Quos brevitæ vitæ, quantumvis longa, coar-
 [ctat?
 Nam quidquid longum sub tempore dicitur ullo,
 Quo [supp. Cum] collatum, punctus brevis esse pro-
 [batur.
 Imo nec punctus, quoniam cum mille per annos
 Tempora transierint, stat punctus, at illa nihil sunt.

Ipsæ manens semper, cum transitoria finxit?
 Si genus humanum sumus hæc sub lege creati,
 Ut quidquid gerimus fugitivæ tempore vitæ
 Transeat, et nosmet tandem simul interramus,
 Insiptens opifex, reprehendendusque videtur,
 Cujus opus vanum veluti vas fictile transit.
 Sic faber ignavus per opus culpatur ineptum,
 Artificemque suum reprehendit fabrica nutans.
 Sed neque quam pecudum melior sors nostra vi-

{detur,

Cum par interitus homines jumenta que tollat.
 Si quis opus sumens, ut desinat, incipit, aut si
 Tæta domus subiens, obintrat, ut egrediatur,
 Insuper merito deridendusque videtur.
 Nos quoque si tantum nati sumus ut moriamur.
 In vanum nati, frustra vixisse probamur.
 Sed cum sit sapiens, imo sapientia, qui nos
 Condidit, atque sua signavit imagine mentem
 Cui formata luto commisit membra regenda,
 Non est credendum nos funditus interituros;
 Sed potius constat quod nec caro nostra peribit,
 Æternæ menti miro semel ordine juncta
 Nam duo Cunctipotens hominem conflavit in unum,
 Ut de diversis factus certamen haberet,
 Arbitrioque suo vinci, vel vincere posset;
 Sed bene pugnantem pareret victoria palmam,
 Supplicium victo dignum censura pararet.
 Sic foret æternum quod condidit optimus auctor,
 Qui finem nescit, quem tempora nulla coarctant,
 Quem penes omnino pax est, et semper idipsum.
 Tempora facta puto, quorum variatio tempus
 Efficit, ex variis generat discordia pugnam:
 At studium pugne sequitur victoria, quæ si
 Tollatur, pariter merces et pœna peribunt.
 Sed neque justitiæ dabitur locus Omnipotentis,
 Per quam pro meritis referantur merita cuique.
 Ergo necesse fuit varios effingere motus,
 Et de diversis unum compingere mundum,
 Quo vult in stadio longo certetur agone,
 Dum genus humanum per tempora tendit ad ævum,
 Donec agonistis Judex examine justo
 Singula disponens, pœnas vel præmia solvat.
 Heu miser l illa dies mihi quæ tormenta parabit,
 Qui lævum per iter semper deveza secutus,
 Illecebris carnis, superata mente, vacavi:
 Cujus in omne nefas intentio prompta cucurrit;
 Cujus opus virtus a crimine nulla redemit l
 Si tantum justus Deus est, pietate remota,
 Nulla mihi veniæ spes est, mihi nulla salutis
 Sed qui justitiæ Domini clementia pars est,
 (Nam sua jure suo repetit, laxatve licenter.
 Confero me Domini supplex reus ad pietatem,
 Qui juste dampnare potest, et parcere cui vult;
 Utque velit rogito mihi semineci misereri,
 Quam deo discerpit, quem vipera sæva momordit,
 Quem latro vulneribus, spoliatum veste, cecidit,
 Levites sprevit mea flagra sacerdos;
 Nec quisquam tulit auxilium sub morte jacenti.
 Tu queque si transis, hominum mitissime custos,

A Quis curam geret, aut quis vulnera cruda ligabit?
 Plurima qui veniæ spem per documenta dedisti,
 Judicium removens, veniam concede roganti.
 Nam quis judicio poterit contendere tecum?
 Nulla mihi meriti fiducia. Si tamen optas,
 1600 (Ut plus es) meritum, quo jure queas misere-

[reri,

Sit mihi pro merito mœsti contritio cordis,
 Sint lacrymæ mihi pro merito, sint verba, preceque.
 Narratur lacrymis abluta negatio Petri.
 Creditur et meritis meruisse latro paradisum.
 Regis adulterium septem tolerata diebus
 Dicitur emendasse fames; justique necati
 Rex idem facinus ratione piavit eadem.
 Dæmone septeno flelu purgata Maria,
 Prima resurgentem meruit cognoscere Christum
 B Plurima sunt exempla quibus fiducia lapsis
 Certa datur veniæ, quæ tu recolenda parasti,
 Ne quis desperet, cum te sciat esse benignum.
 Ergo, benigne Pater, fac more tuo bene mecum,
 Ut cum salvatis merear requiescere tecum.
 Laus tua, sancte, meo semper versetur in ore,
 Et mea scriptura confessio vivat in ista.

Amen.

CAPITULUM III.

DE MERETRICE.

Innumeros inter laqueos callidus hostis,
 Omnes per mundi colles campoque tetendit,
 Maximus est, et quem vix quisquam fallere possit.
 Femina, triste caput, mala stirpe vitiosa propago,
 C Plurima quæ totum per mundum scandala gignit;
 Quæ lites, rixas, et duras seditiones
 Excitat, et veteres bello committit amicos,
 Separat affectus, natos ciet atque parentes:
 Parva loquor, reges solio movet, atque tetrarchas,
 Gentes collidit, quatit oppida, diruit urbes,
 Cædes multiplicat, lethalia pocula miscet;
 Per villas agrosque furens, incendia jactat.
 Dedicque nulla mali species grassatur in orbe,
 In qua non aliquam sibi sumat femina partem.
 Invidus est sexus, levis, iracundus, avarus,
 Et circa potum nimius, ventrisque voracis;
 Vindicta gaudens, et vincere semper anhelans,
 Per fas atque nefas cupiens implere quod optat;
 Cui nihil illicitum, quod dulce sit, esse videtur.
 D) It facie renitens, secretaque sordida celans,
 Mendax atque procax, nec furti crimine purus:
 Hinc lucris inhians, hinc igne libidinis ardens,
 Garrulus, inconstans; et post mala tanta superbus,
 His armata malis subvertit femina mundum;
 Femina dulce malum, priter favus atque venenum,
 Melle linens gladium cor confodit et sapientum.
 Quis suasis primo vetitum gustare parenti?
 Femina. Quis patrem natas viliare coegit?
 Femina. Quis fortem spoliatum crine peremit;
 Femina, quæ matris cumulavit crimine crimen,
 Incestumque gravem graviori cæde notavit.
 Quis David sanctum, sapientem quis Salomonem

Dulcibus illecebris seduxit, ut alter adulter,
 Alter sacrilegus fieret, nisi femina blanda?
 Prætereo multas, quas pagina sacra recenset,
 Infandam Jezabel, ausamque nefas Athalam,
 Et plures quas non est enumerare necesse.
 Multas prætereo, quas connumerare poetæ,
 Historiæque solent, Exiphilem et Clytemnestram
 Beliden et Progen, concertatamque decenni
 Terrarum bello Læda genitam meretricem,
 Quasque solent alias populo recitare tragædii.
 Hujus in exemplum monstri gravis atque cavendi,
 Finxit terribilem sapientia prisca chimæram;
1601 Cui non immerito fertur data forma triformis,
 Nam pars prima leo, pars ultima cauda draconis,
 Et mediæ partes nil sunt nisi fervidus ignis.
 Hæc ad naturam meretricis ludit imago,
 Ut prædam rapiat quæ præfert cra leonis,
 Egregio simulans quidam quasi nubile vultu;
 Hæc specie captos flammis exurit amoris,
 In quo nil solidi, nil ponderis esse videtur,
 Sed levis, et ratione carens, fervensque libido,
 Ultima sunt cujus lethali larta veneno,
 Quippe voluptates mors et damnatio finit.
 Fæmineam speciem gerit irrequieta Charybdis,
 Quæ trahit in mortem sorbens sibi proxima quæque
 Hæc est et Siren, quæ stultos dulcia cantans
 Allicit, allectos trahit, attactosque profundum
 Mergit in interitum, quem declinavit Ulysses
 Præcludens comitum fumosis cantibus aures,
 Se quoque vi cohibens ne cursum flectere posset
 Nexibus arctatus fugientis in arbore navis,
 Nec minus et Circes male dulcia pocula cavit,
 Quæ qui portarunt formas traxere ferinas,
 Effecti canibus similes, subisque lutosi,
 Per quos degeneres emolliorque notantur,
 Ducentes pecorum dominante libidine vitam.
 O genus hominum! mellita venena caveto,
 Et dulces cantus tractumque voraginis aoræ,
 Nec te compositi seducat gratia vultus,
 Flammam urentes, sævumque timeto draconem.
 Si formosa vocat mulier te fallere quærens,
 Tuque tibi fidens properas certamen inire
 Pectore robusto spernens hostilia tela
 Falleris ignarus: non hæc certamina hujus
 Lex est, ut possis conserta vincere pugna.
 Præstat inire fugam, pedibusque parare salutem.
 Si fugis, evades: si congrederis, capieris.
 Sed neque despicias moneo, quia Gorgone visa
 Vertitur in lapidem quicumque libidine torpet.
 Quisquis in Ecclesiæ mundi secat æquora, navi
 Ut queat optatum patriæ contingere portum,
 Dulcisonos cantus et blanda pericula vitans,
 Dogmate legitimo conclusas munit aures
 Astrictus ligno divini fene timoris;
 Lignum nostra salus crux est, velut in rate malus,
 Nec caret antennis, quæ sunt duo brachia ligni.

CAPITULUM IV.

DE MATRONA.

In cunctis quæ, dante Deo, concessa videntur

A Usibus humanis, nil pulchrius esse putamus
 Nil melius muliere bona, quæ portio nostri
 Corporis est, sumus atque sum nos portio carnis,
 Quam non immerito naturæ lege coacti
 Ut sociale bonum, vel cum nos ledit, amamus,
 Nam cum simus idem, sub eadem conditione
 Vivimus, et nihil est quod non commune geramus,
 In cunctis similes, salvo discrimine sexus:
 Lex, ortus par est, alimentis utimur iisdem,
 Æque vestimur, netum risumque movemus
 Affectu simili, sensu discernimus æquo
 Quæ bona, quæ mala sint, quid justum, quid sit
 [iniquum,
 Et sermone pari sententia mutua currit.
 Inter consimiles gratesque referre viciesim
B Novimus, officiis alternaque dona mereri,
 Et dare consilium quo noxia submoveantur
 Ista vir et mulier communiter omnia possunt
 Quæ constat brutis animantibus esse negata,
 Nec tamen et multi cupiunt, et amanda latentur
1602 Quæ ratione carent, vivunt tamen atque
 [moveantur.
 Sterque gradu [f. Stantque gradu] nobis natura
 [juncta secundo.
 Herbas et flores et cuncta virentia terræ,
 Quæ calor humori mistus nutritque, fovetque,
 Incrementum dans, et vires fructificandi.
 Pulchra putant homines, animam tamen ista carere
 Non ignorantes, sed enim crescendo moventur.
 Tertius ergo gradus docet hæc minus esse probanda
 Vestes, argentum, gemmas aurumque, vel omnia
C Quod motu caret, et tamen est optabile visu,
 Quamvis a nobis longe longeque [f. lateque] remota,
 Quarto quippe loco naturæ lege tenentur.
 Admiranda ferunt etiam quibus ista negantur.
 Ergo cum mulier sit dignior omnibus istis,
 Pulchrior argento, fulvo pretiosior auro,
 Splendidior gemmis, quia luce carent rationis,
 Quod miranda magis, vel quod potius sit amanda
 Ex supradictis certum constare putamus.
 His licet ex solo venientibus ordine causis
 Naturæ jasti nexu sociamur amoris,
 Quas tamen ex æquo sexus partitur uterque
 Nec minus ista viris sunt quam mulieribus apta.
 Sed sunt multa quibus muliebris sollicitudo
 Præminet, et propriam dat mundo sexina causam,
D Quam si submoveas, hominum genus omne peribit,
 Nam si desit ager rogo, quid tua semina prosunt?
 Quis queat esse pater, si desit femina mater?
 Transeo prægnantis duros longosque labores,
 Anxia prætereo cruciantis tempora partus
 Quo nos in lucem mater christissima [f. tristissima]
 [fundit
 Mox pretio prolis tantos oblita dolores.
 Quis precor hoc meritum digno compensat amore?
 Dicere quisve potest se matrem non habuisse?
 Mulia minora quidem, sed quæ tamen exigit usus
 Vice [f. vitæ] communis, tibi femina sola ministrat,
 Nam quis nutricis sumet nisi femina curam,

Qua sine nemo potest natus producere vitam?
 Qui lanam, linumque trahet? Quis volvere fusum?
 Reddere quis pensum, vel texere quis patietur?
 Usus in nostros sunt hæc, tam comoda sunt,
 Ut si deficiant, vitæ minuatur honestas.
 Plurima præterea quæ cura domestica poscit
 Promptius exsequitur speciali femina cultu
 Multaque perpetitur, quæ nostra superbia transit.
 Mollius ægrotum tractat, plus sedula lecto
 Assistit, studiosa cibos potumque ministrat,
 Plus amat, et citius valet ad præcepta moveri,
 Inque boni formam ceu mollis cera reflecti,
 Et disciplinæ subjectior esse probatur.
 At mens dura viri rigida cervicis repugnat,
 Vixque jugum patitur dum se negat inferiorem.
 Adde quod in fragili magis est laudabile sexu
 Virtutis studium, transgressio plus venialis;
 Neo tamen in sexu virtus minor inferiori
 Sæpe reperta fuit, sed nec transgressio major,
 Namque scelus Judæ quæ pessima femina vincit?
 Aut quis vir meritum valet æquiparare Mariæ?
 Hoc tamen excepto quoniam res unica constat,
 Non paucas legimus mentes gessisse virorum,
 Aut etiam superare viros, et pectore forti
 Dignam mercedem merita cum laude tulisse.
 Sara, Rebecca, Rachel, Esther, Judith, Anna, Noem,
 S. dera ceu septem quas sæcula prisca tulerunt,
 Æquiparasse viros, aut exsuperasse leguntur.
 Nam Judith egregium facinus, quod nemo virorum
 Ausus erat, gessit, cæso rediens Holoferne,
 Bethuliæque salus urbi data per mulierem,
1602 Urbibus a reliquis pulsam deterruit hostem.
 Esther reginam commendat fama perennis,
 Quæ velut agna lupo crudeli nupta tyranno
 Non timuit, capitis discrimine, limen ire,
 Quod [f. Quo] non exhibat quisquis non jussus inisset,
 Opposuitque suam propria pro gente salutem,
 Edictumque necis populi convertit in hostes.
 Ruth laceo quæ sola socrum comitata pudicam,
 Ad regale genus meruit transfundere prolem,
 Dum fidei causa patriam fugit atque parentes.
 Aut sub lege nova postquam laus integritatis
 Virgineo partu mundo celebrata refulsit,
 Innumerabilibus sunt tempora plena puellis,
 Quæ vitæ damno compensavere pudorem,
 Et documenta viris, hostem superando, dedere
 Quod mentis virtus sit cedere nescia pœnis.
 De numero quarum meritis non inferiores
 Agna, Fides, Agathes, Lucia, et Cæcilia, Thecla
 Egregia virtute truces vicere tyrannos.
 Possem gentiles etiam memorare puellas
 Mortis contemptu celebres, castoque pudore.
 Æternam meruit moriens Lucretia famam
 Damna pudicitie celeri necesse sponte secuta,
 Alcestes decoris refugit dum cernere lucem,
 Hanc tamen et memorant dura sub conditione
 Qua caput alterutrum crudelia fata petebant.
 Morte sua vitam regis servasse mariti.

(25) Forte insipidus; e. cibis.

A Casta suum ferro confoderat atria pectus
 Damnati cupiens præcurrere fata mariti,
 Quod sibi dilecto cum traderet: Accipe, dixit,
 Quod feci vulnus mihi non dolet, et tua, Pelbe,
 Vulnere quæ facies, mihi vel post fata dolebunt
 His patet exemplis, patet et rationibus illis
 Carminis in primo quas limine fiximus hujus,
 Quod neque culpari mulier, quia femina tantum,
 Nec quia vir tantum debet quis laude beari,
 Sed magis in sexu vitium mutatur utroque.
 Et pariter laudem virtus in utroque meretur.

CAPITULUM V.

DE SENECTUTE.

Ætatem vexant incommoda multa senile
 Quæ de mortali procedunt conditione
 Corporis humani compagem debilitante
 Dum dissolvendos in mortem præparat artus;
 Mens etenim vivax nec corpore clausa senescit
 Nec linem vitæ jam corpore libera novit.
 Hæc sunt ergo sere senibus plerisque molesta,
 Singula sæpe novo tentantur membra dolore,
 Nunc caput, aut pectus, nunc cor dolet, aut latus, et
 [nundos
 Extorquet gemitus vexans injuria lumbos,
 Contrahitur nimio nunc totum frigore corpus,
 Vixque valet multa cumulatam veste foveri,
 Pondus et impositum fessos mox opprimit artus,
 Congeriemque jubet citius remove molestam,
 Aut onus aut frigus misero tamen est tolerandum,
 Sed neutrum perferre potest, et utroque gravatur:
 Est utrobique labor, requies utrobique negatur.
 Interdum subita correptus febre calescit,
 Frigus adest et onus, sed eum calor angit iniquus.
 Huic caligantes oculos tegit improba nubes,
 Ut vix servorum valeat dignoscere vultus,
 Aut prorsus patulos lux invidia deserit orbes.
 Excussos alius gemit a radice molares
 Infusum nudo dum panem versat in ore,
 Et sorbere magis, quam mandere cogitur escas,
 Sustentatque cibus, sed non delectat edentem,
 Fallit et insipiens (25) gustu torpente palatum,
1604 Vox exarinato quoque deformatur in ore,
 Et collisa levi balbutit lingua labello.
 Sunt quibus obstrusæ via jam præcluditur auris,
 Et vel clamosa vix possunt voce moveri.
 D Quorundam nares sensu privantur odoris,
 Ut nihil a cæno distet fragrantia thuris,
 Hos neque contristat cerebrum, neque mulceat illud.
 Sed neque tam dulcis senibus sopor explicat artus,
 Nec se tam lenis vetulis sonus auribus infert,
 Non sic æstiva fessi recreantur ab aura,
 Nec similem præstant potusve cibusve saporem.
 Tardo conatu suscepta negotia tractant,
 Et quoties opus est, lento sermone perorant.
 In quæstum cupidi quæsitæ tenaciter abduunt,
 Et ne deficiant metuunt præsentibus uti,
 Cumque, quod his vitæ superest, paucissima poscat,

Frustra spe longi non paucâ superflua servant.
 Sed quis sanus iter longos parat ad brevia sumptus?
 An non desipit is qui quo brevior via restat,
 Hoc plus sollicitus graviora viatica tollit?
 Stultior est iste qui quo non utitur aget.
 Cur? quia semper eget. Quare? quia parcat acervo.
 Cur parcat? ne deficient sibi commoda. Quænam?
 Hospitium, vestes, cibus et diversa suppellex.
 Ast hæc deficient si sumpserit unde parentur,
 Et ne deficient, hæc deficient ratione,
 Quod quam sit stultum stultis etiam patet, ergo
 Sumat et expendat, parcat et quibus expedit uti.
 Sed gelidus sanguis senis anteriora coarctat,
 Et timet expensas, et eget, ne possit egere,
 Ergo voluptates aufert provecior ætas.
 Corporis enumerant quas inter commoda multi,
 Inter quas fertur coitus vel maxima, cujus
 Sera caloris egens ætas intercipit usum,
 Propterea vulgo senibus culpatur ab ipsis,
 Cumque senectutem cupiant omnes adipisci,
 Accusant omnes et detestantur adeptam
 Quando voluptatum non idem sensus habetur.
 Sed mihi multa placent quæ confort longior ætas,
 Nec culpanda nego quædam quibus insimulatur
 Sic etiam non multa gerit laudanda juvenus,
 Nec minus est vitiiis eadem subjecta quibusdam.
 Laudo senectutem, quia turpes pellere motus
 Noscitur, et mundum servare libidine corpus,
 Tum quod inest senibus rerum prudentia major,
 Et quod tranquillam sectantur amantque quietem.
 Pellitur et petulans levitas gravitate senili,
 Tum quod sæpe solent avertere publica damna
 Consilium dubiis in rebus dando salubre,
 Et discordantes revocant ad fœdera pacis,
 Et quod [*f. Non quod*] avaritiæ morbo plerique la-
 [borant,
 Improbo præcipue quia sumptu se quoque fraudant,
 Et morti servant quæ vitæ postulat usus,
 Nam quod in annoso tenentur corpore vires,
 Vel quod morborum miseros incursum vexat
 Non magis arguo quam quod non aut viribus infans
 Stare potest pueri [*f. propriis*], puer aut juvenili-
 [bus uti,
 Quodve sui morbi juvenes puerosque fatigant,
 Scilicet ætatum distinctas proprietates.
 Qui trahit in culpam naturæ jus reprehendit,
 Quod senis obscurat fallax oblivio mentem,
 Immemor et subito facti solet esse recentis:
 Hoc reor ætatis, non culpa deficientis,
 Sed magis incultæ vitio contingere mentis;
 Nam quos desidiæ dat luxuriosa juvenus,
 Excipit hos hebes insipiens odiosa senectus;
 Quos prior in studiis ætas exercet honestis
 Jucundos clarosque senes florere videmus,
 Pectore qui memori recitant linguaque diserta
 Res noviter gestas, imitandaque facta priorum;
 1605 Econtra quosdam juvenes puerosque videmus

A Vix hodie quod heri gestum fuerat reminisci.
 Unde patet non temporibus juvenumve senumve
 Stultitiæ causam, sed moribus attribuendam;
 Scilicet ætati luxus nocet improbus omni,
 Et modus ætatem servat, decet, adjuvat omnem.
 Multa senex memini juvenem me probra tulisse
 Verborum cur non sequerer levitate comævos
 Intempestivis epulis ludisque vacantes,
 Cum me discendi retineret sobria cura
 Quorum nonnullus miseram modo ferre senectam.
 Mens hebes et corpus privatum sensibus ipsis
 Indicat antiqui vestigia sordida luxus.
 Ast ego nunc suaves studiorum colligo fructus
 Cum lego, vel meditor, vel quilibet utile scribo,
 Vel mihi commissos moralibus instruo verbis.
 B His exercitiis mihi sit jucunda senectus;
 Er si corporeis me fraudat viribus ætas,
 Ingenium mihi mensque vigent et tempore crescunt,
 Nec mihi contemptum peperit maturior ætas,
 Sed cani capitis crevit reverentia major.
 Ergo Creatori non cessam red-ere grates,
 Ætatem qui me miserans perduxit ad istam,
 Qua jam naturæ petulans deseruit ardor,
 Pacatosque sunt [*f. sinit*] tandem requiescere sensus.
 Delectet juvenes latis discurrere campis,
 Sectari lepores, capreas, aviumque volatus,
 Delectent epulæ, ludi, spectacula, cantus,
 Me mens oblectat meditantem talia, lectus.

CAPITULUM VI.

DE FATO ET GENESI (26).

Fato cuncta regi testatur opinio vulgi,
 C Minera fortunæ qui plus nascentis in hora
 Constitui perhibent, quam nobilitate parentum,
 Nec desunt aliqui doctorum nomen habentes,
 Qui sibi nonnulla ratione probare videntur
 Quod nostros actus genesis violentia ducat,
 Ut quidquid gerimus confirmet esse necesse.
 Est autem genesis natalis terminus horæ,
 Quam sub stellarum testantur lege teneri,
 Quarum cuncta situs nascentibus omnia præstat,
 Sidera nam septem per signa ferunt duodena
 Cursu retrogado; tamen hæc cito, tardius illa
 Temporibus certis intervallisque moveri.
 Ergo mathematici stellarum numine [*f. nemine*]
 [septem
 Prospera cuncta dari perhibent, casusque sinistros;
 D Juxta quod sese sociant per singula signa,
 Aut a se brevibus spatiis longisque recedunt,
 Sic tamen ut radios quæcunque proportio jungat.
 Nec solum causas tribuunt his exteriores,
 Sed mores etiam nascentibus videre credunt [*f. edere*]
 [credunt);
 Namque Venus cum Marte manens in schemate
 [quodam,
 Tetragono soli; radio se respiciente,
 Cogit adulterii facinus committere natos,
 Cogit et incestus patrari flagitiosos;

(26) Per genesim intelligi voluit auctor nativitatem, seu tempus et momentum nativitatis uniuscujusque.

Unde putant tractum, quod musa poetica narrat,
 Martis adolterium solem Venerisque notasse.
 Mars quoque respiciens Saturnum schemate quadro
 Stellarum nulla se respiciente bonarum
 Efficit audaces, gladiatores, homicidas,
 Dæmoniacos, fures, omni que libidine plenos.
 Cum Jove juncta Venus parit omnibus omnia læta,
 Si tamen obstat eis radiatio nulla maligna.
 Unde Maro memorat quod Jupiter oscula natæ
 Prælibans vultu, lævum fuget omne, sereno.
 1606 Mars fera bella movet; belli deus inde vo-

[catur.

Pessima cunctarum Saturni stella putatur.
 Mercurio lunæque suos ars dividit actus,
 Vitæ dans astris humanæ jura necisque:
 His lucra, damna volunt, his corpora sana vel ægra;
 His et virtutes omnes, et crimina cuncta;
 His paupertates et opes ascribere causis,
 Hæc apud astrologos quondam mihi lecta recordor.
 Firmicus infirmis rationibus ista probare
 Contendit, cujus mihi themata falsa videntur;
 Nam juxta quod ei placet inquisita notare
 Affirmem quod sit mea constellatio fallax,
 Sicut in hoc studio versans aliquando probavi,
 Ni vereor ne me potius quis fallere credat,
 Aut in difficili falli numero potuisse,
 Si non hæc nota cunctis ratione refutem.
 Primum si verisimiles assertio falsa
 Posset habere locos, ac gentibus insinuari
 Quod genesis cogat quidquid committitur, usquam
 Utile quid mundo, præcor, hæc persuasio ferret,
 Scilicet ut nullus quæcunque nefanda cavere,
 Sed patrocinio cognati sideris utens
 Vellet quisque suum scelus hac ratione tueri.
 Cur mihi quis post hæc iudex imponere culpam
 Tentet, et insonti pœnam decernat iniquam,
 Cogentem feriat, parcat censura coacto.
 Vel potius laudet quidquid delectat agentem,
 Omnia cum constet descendere crimina cælo?
 Ergo metus pœnæ cohibens peccare volentes
 Postquam defucrit, ruptis malus omnis habenis
 Proruet in facinus, peragens quodcunque libebit
 Aspice quanta malis scelerum sit aperta fenestra,
 Fur, latro, sacrilegus, raptor, perjurus, adulter,
 Et quodcunque nefas toto punitur in orbe
 Jam velut in licitum vetitos prorumpet in actus.
 Quod si pœna reis deberi nulla probatur,
 Et contra nulli debentur præmia justo,
 Spes perit atque metus, perit paradus et orcus,
 Libertas perit arbitrii, vis cuncta coarctat.
 Sic leges frustra, sic jura forensia frustra,
 Consilium frustra, mentis prudentia frustra,
 Tempia Dei frustra, supplex oratio frustra.
 Et quæcunque juvant miseros sunt omnia frustra.
 Ergo nec ignaro nocet absque labore vacare,
 Nec juvat agricolam multis cum bobus arare,
 Si mala stella probum, vel si bonagignat inertem.
 Et tamen alter eget, cum sumptibus alter abundet
 Quid quod et auctorem condemnat opinio talis,

PATROL. CLXXI.

A In quem perspicue stellarum culpa redundat;
 Aut igitur genesis prorsus reprobanda videtur,
 Aut geni salva, salvum nihil esse probatur.
 Hæc satis esse reor, quibus cedat impius error;
 Si tamen est aliquis super hæc qui plura requirat,
 Et petat opposita genesis quasi fronte feriri,
 Possumus hanc alia falsam ratione probare.
 Sunt quædam quas nulla movet discordia gentes,
 Bragmanos Ceresque vocant qui vera probarent.
 Nullus ibi raptor, spargens incendia nullus,
 Nullus adulterium novit, perjuriam nemo;
 Incestum fugiunt, faciunt homicidia nusquam.
 Nunquid in his aliquid juris tenet aut Venus, aut

[Mars?

Aut nunquid nullus sub eorum nascitur hora?
 B Sunt aliæ contra quibus est incestus in usu,
 Quarum sunt homines assueti vivere rapti,
 Sanguinis humani quibus est effusio vilis,
 Qui nec adulterium, nec cætera crimina vitant,
 Quos non auditu, sed visu movimus ipso.
 Nunquid et hos prohibet sidus peccare benignum?
 Aut horum nemo valet hoc sub sidere nasci?
 1607 Denique Judæis quotquot versantur ubique
 Octava curtata die sunt membra pudenda,
 Omnibus et tenero fluxit de corpore sanguis,
 Quis cunctos una genitos deliret in hora,
 Qua Mars sanguineus natis dare vulnera fecit
 Omnes ut membro plagam paterentur in uno.
 Ergo voluntatis non sideris esse probatur
 In bivio positum lævam dextramque tenete;
 Nec minus est clarum, quod sæpe timore voluntas
 C Vel spe mutatur, refugitque quod ante petebat,
 Ut si quis planum cupiens incedere callem
 Aspiciat subito scissæ telluris hiatum,
 Interitum metuens objecta pericula vitat;
 Et rursus pariter saxosum tendere nolens,
 Si subito videat non parvi ponderis aurum
 Spe lucri properans pensat mercede laborem,
 Ingrediturque viam per quam prius ire timebat.
 Impellat juvenem Mars, et Venus atque Cupido
 Quemlibet ad coitum cupientis idem mulieris,
 Atque superveniat, cum jam sit uterque paratus,
 Ira viri gladios infestaque tela gerentis,
 Suspensaque manu permittat opus morituris,
 Nonne sub articulo necis impendentis utriusque
 Victa timore fugit peccandi tota voluntas,
 D Et facinus prohibens timor est violentior astris?
 Sic etiam populos regum decreta limentes;
 Qui punire reos soliti delicta coercent,
 Vivere perpetua gaudentes pace videmus,
 Et nec agunt prædas, nec ab his incendia fiunt,
 Nec violare toros alienos tarpiter audent,
 Nec dant infestis sibi mutua vulnera telis.
 Ergo timor, non stella facit ne crimina flant.
 At quos nulla regit vitis inimica potestas,
 Aut legum jurisve minax censura coercent.
 Cædibus inter se videas sævire cruentis,
 Assuetos crebris pacem turbare rapinis,
 Et vetitos coitus lasciva licentia miscet.

54

Ergo timore carens crimen patrat omne voluntas ;
 At spe mercedis fieri bona cuncta putamus.
 Cum sit et hæc ipsam merces evadere pœnam
 Sed pro mensura fidei sunt spesque timorque,
 Indubitata fides spem perficit indubitata,
 Et certus timor est quem certa fides comitatur ;
 At litubante fide titubabit spesque timorque.
 Unde sit ut modicæ fidei peccata frequentes ;
 Nam qui perfecte pœnas et præmia credunt,
 Si peccare timeant ne pœnas perpetiantur,
 Et bona semper agunt ut regnum promereantur.
 Hæc contra genesim breviter scribenda putavi ;
 Ne tamen omnino fatum genesimque repellam,
 Esse meum fatum summi Patris assero Verbum,
 A quo cuncta regi debent quicunque fateri,
 Ingenitamque mihi dico genesim rationem,
 Et libertatem qua quo volo tendere possum,
 Sponte bonum, vel sponte malum sine sidere pa-
 [trans.

Ergo si fuerit rationi juncta voluntas
 In signo Libræ Christo se [f. me] respiciente,
 Prospera cuncta mihi contingent hic et ubique.
 Hæc est cunctorum genesim bona Christicolarum.

CAPITULUM VII.

DE VOLUPTATE.

Græcia philosophos habuit diversa sequentes,
 Dum sibi quisque placens aliorum dogmata damnat,
 Ut semel assumptam pudor est deponere partem.
 Hi de principis mundi vitaque beata
 Millia verborum studuerunt texere multa,
 1608 In quibus ingenio, non re, subtiliter usi
 Plura probabilius quam vere composuerunt,
 Errorisque sui multos babuere sequaces
 Artifici captos dicendi commoditate,
 Inter quos habitus non ultimus est Epicurus
 Ex atomis perhibens mundi consistere molem.
 Iste voluptatem summum determinat esse
 Perfectumque bonum, quo quisque fruendo beatus,
 Congaudensque sibi sine sollicitudine vivat,
 Scilicet aut animas cum corporibus perituras,
 Aut nullum credens meritorum post fata manere.
 Hujus discipuli plures sunt Pithagoreis,
 Socraticis plures, nec quisquam philosophorum
 Tot propriæ sectæ potuit reperire sequaces.
 Quis numerare queat regiones, oppida, vicos,
 Urbes atque domos Epicuri dogma sequentes ?
 Sed nec ego dubitem si corporis ulla voluptas
 Hoc præstare potest, ut sollicitudine pulsa
 Perpetuo gaudens ætatem ducere possim,
 Inter delicias præbere manus Epicuro.
 At si constiterit quod pernicioosa libido
 Corpus debilitet, mentisque retundat acumen,
 Obtineat ratio quod sit fugienda voluptas.
 Primum delicias Epicuro sufficientes
 Non nisi sollicitus queat ipse parare magister,
 Sed, verbi causa, nos illi cuncta paremus
 Commoda solliciti, gratis quibus ipse fruatur,

(26*) Forte *Arclatur*, nisi forte melius *ansatur*, id est *ansatus efficitur*, ut homo qui utriusque præ-

A Et videamus utrum sit luxuriando beatus ;
 Nec vero tantum demus sibi dulcia gustu,
 Sed pascant oculos etiam pulcherrima visu,
 Sensibus et ceteris adsit sua cuique voluptas :
 Sterne, puer, lectos, loca terna parato quaternis,
 Hunc poscit numerum genialis forma triclinum,
 Cortinisque domum pictisque tapetibus orna,
 Perque pavementum redolentes spargite flores.
 Ipse micans gemmis princeps, ostroque superbes
 Accubet in lecto pretioso murice tecto,
 Stragula convivas, seu byssina vestis adornet,
 Turba ministrorum cultu sit amicta decenti ;
 Pone dehinc mensas, mantilla candida, mappas,
 Confectum nivea profer similagine panem,
 Mellitas etiam solemniter adde placentas,
 Fulgentes calices, nitidos appone catinos,
 B Fercula diversis condita saporibus infer ;
 Quadrupedum carnes quas dura domestica nutrit,
 Quasque canum silvis solet exagitare latratus,
 Omno genus volucrum quod regia mensa frequen-
 [tat,

Æquoreos pisces et de fluvialibus undis
 Affer, et electos de qualibet arbore fructus,
 Et quidquid tellus homini producit edile,
 De vilis ut stomachi dapibus fastidia vincas :
 Utque voluptatem capiat subtile palatum,
 Nec minus et variis distendito potibus utres,
 Cæcuba non desint, nec desint vina Falerna,
 Pocula pigmentis et melle sapor propina.
 His pistor, pincerna, coquus, dapiferque parandus
 C Insistent opus est, et turba minor famulorum,
 Ne si forte moras protaxerit actio segnis
 Sit miser ante fame rex quam comedendo beatus.
 Interea ne qua fraudetur parte voluptas,
 Tibicæ, tubicen, citharistria, saltia, mima,
 Cymbala, psalterium, lyra, tympana, fistula, vocæ,
 Et si quod genus est quod musica dulcibus aptet,
 Singula delectent festivis cantibus aures.
 Nardi læta domus pretiosi fragret odore,
 Balsama respirent, nec desint galbana, nec thus.
 Post hæc cum fuerint jam viscera plena beati,
 Balnea, tonsores, strigiles, unguenta, silotrum,
 Queis niteat curata cutis, sint rite parata.
 Sic color atque sonus, sic et sapor omnis, odorque
 1609 Sensus corporei quibus ad momenta
 [fruuntur,

D Si quos objectant usu præsentem beatos
 Efficiunt, miseros cito discedendo relinquunt ;
 Sed neque qui fruitur re quam cito scit perituram
 Securus gaudet, nec sollicitudo beatum
 Ulla decet, sine qua nemo fruitur perituris,
 Nam cum defuerint, cupit insistitque fruendis ;
 Dum fruitur metuit ne se fugitiva relinquat,
 Inque vices miserum carpunt timere atque cupido.
 Ergo nequit vigilans non sollicitudine pungi,
 Ansatur (26*), et multo vino somnoque sepultus
 Nil cupiens et nil metuens fortasse beatus

ebrietate titubat quique quasi e duabus ansis ap-
 prehensus, inde pellitur et repellitur.

Esse potest, cum se non sentiat esse beatum.
 An [*f. sic*] aliquid miser est, nisi tempore dor-
 [miat omni,
 Dormiet æternum, ne sit miser evigilando.
 Ridiculum nimis hoc, illudque videtur ineptum
 Quid quod et ebrietas et crapula corpus onustum
 Interius vexant, inflataque viscera rumpunt,
 Dum gravis immodicus stomachus non digerit easas,
 Et male fetentes exhalat copia ruclus,
 Vixque sub hac massa pulmo respirat anhelus,
 Lymphatumque mero cerebrum cava tempora pul-
 [sat.

Quæ poterit, precor, esse quies in turbine tanto?
 Quin etiam morbos parit immoderata voluptas
 Nervos dissolvit, venarum cursibus obstat,
 Et generat nimias vitiatæ sanguine febres,
 Ac reddit tremulos consumptis viribus artus.
 Denique præcipitat brevioris tempora vitæ;
 Postremo nihil est quod sic extinguere mentis
 Scintillam queat et vigiles demergere sensus.
 Contra sobrietas, mensuraque parca ciborum,
 Luxuriæque modus sensus conservat alacres,
 Et naturali confirmat robore corpus.
 Et somnos dulces, et cuncta salubria præstat,
 Excitat ingenium, mentis custodit ad acumen,
 Multiplicatque dies, ac vitæ prorogat annos.
 Quis, rogo, virtuti locus est, ubi tetra voluptas
 Regnat? Num quisquam dominante libidine pru-
 [dens,

Aul justus moderansve potest, seu fortis haberi?
 Cur hominem jugulat manus importuna latronum?
 Scilicet ut spoliis redimatur iniqua voluptas.
 Cur frater fratrem, cur nomina sancta parentes
 In mortem nati votis properantibus urgent?
 Ut successuris contingat iniqua voluptas.
 Denique cunctorum scelerum sit causa voluptas.
 Ergo voluptatem nec summum constat habendam
 Nec mediocre bonum, minimum negat ipse sophista
 Qui summum prohibet; sed nos utrumque negamus,
 Quippe bonum natura boni nequit esse repugnans,
 Ut vitium vitio configere sæpe videmus,
 At cunctis inimica bonis solet esse voluptas,
 Quam summum patet esse malum, quia destruit om-
 [nem

Virtutis speciem; vitium parit et fovet omne.
 Quapropter stultos Epicuri respice sensus,
 Qui cupis ad vitam quandoque venire beatam;
 Sperne voluptates inimicas philosophiæ,
 In grege porcorum nisi mavis pinguis haberi
 Illisa rigidam passurus fronte securim.

1610 CAPITULUM VIII.

DE VERA AMICITIA.

Quæ sit amicitia lex et motus inter honestos,
 Veraque quam suaves pariat dilectio fructus
 Complecti verbis non est mihi plana facultas.
 Sed tamen experiar super his attingere quædam;
 Nam quod philosophis fertur placuisse quibusdam
 Ut proprio vivat sapiens contentus amore,
 Nec sibi jungat onus per amicitias alienum

A Casibus afflicti per quod crucietur amici,
 Sicque statum rapiat sibi sollicitudo beatum,
 Qui nisi securæ nequeat contingere menti;
 Hoc, inquam, nulli non execrabilo dogma
 Quam sit inhumanum natura judice claret,
 Qua genitivus amor natos ligat, atque parentes,
 Et consanguineos sociali fœdere jungit,
 Conjugumque fidem nexu tenet irresoluto,
 Hæc vis et populos, et magnas continet urbes,
 Alternamque vicem communicat officiorum,
 Et facit unanimes sub eodem degere lecto,
 Congregat hæc eadem quodam quasi complice senau
 Ejusdem generis quæ sunt animalia muta,
 Et duce natura sibi congrua quæque requirunt,
 Grataque consimiles animas concordia neclit.

B Afferit ergo nihil vox quæ studiosa novorum
 Fingit amicitias inimicas philosophiæ;
 Nam quid tam clarum, quid tam dignum sapiente
 Quam gaudere bonis sibi congaudentis amici,
 Affectuque pari casus portare sinistros,
 Et junctis opibus se consilioque juvare?
 Nam sibi quæ desunt uni cum conferat alter
 Fortius assurgunt ad onus virtutis uterque,
 Unaque devinctis quasi sit persona duabus,
 Exemplarque sui videt alter et alter in uno.
 Ergo remotus adest, et cum sit egenus abundat,
 Et valet infirmus, loquiturque tacens per amicum,
 Quodque magis mirum cum sit simul alter et idem;
 Post mortem vivit, sibi scilicet ipse superstes.
 Quid tam jucundum, vel quæ tam vera voluptas,
 Quam comes unanimes, cui sic tua gaudia narres,
 Ut tibi, qui tecum de te sic gaudeat ut tu,
 Condoleat pariter, juvet, attollatque jacentem?
 Si cui contingant quæ vix contingere possunt
 Uni cuncta simul, sed dantur singula multis,
 Gloria, divitiæ, facundia, forma, potestas,
 Munera fortunæ quæ singula magna videntur,
 Sic ille et miser est, si destituatur amico.
 Hæc a natura mortalibus insita via est [*f. vis est*],
 Ut simili gaudens contraria cuncta repellat.
 Scilicet hinc oritur comitum dilectio prima,
 Quam benefacta fovent, et alit tenor officiorum,
 Præbita cum fuerint bilari sibi mutua vultu.
 Hoc tam divinum cunctisque perutile munus
 Qui non admittunt horum teterrima sors est.
 Si tamen est aliquis tam ferreus et sine succo,

D Ut nulli credat, nec quemquam possit amare,
 Humani generis quem dicere possumus hostem,
 Dum se contentus, nulli prodesse laborat,
 Prælatos merito reor huic quoscunque latrones,
 Quos, perversa licet, scelerum communio jungit,
 Et melius pecudes socialiter ingrege vivunt,
 Quas communis amor lætas agit, indice luau.
 Hunc etenim motum qui non habet applicet ut se
 Ad sibi consimilem nec amantem possit amare,
 Hujus erit trunco saxovæ simillima vita.
 Sed benefacta licet diffundere nostra velimus
 1611 In plures, vel, si contingere posset in om-
 [nes,

Est in amicitias tamen hic cautela parandis,
 Ne quisquis blanda specie simulabit amicum,
 Hic tibi continuo dignus videatur amari,
 Aut illi clausæ mentis cito limina pandas.
 Hos timor, aut illos spes allicit utilitatum,
 Quorum turba frequens, nec sic abigenda videtur.
 Ut nulli quidquam, nec ullo tempore credas,
 Cum bene nonnunquam falsis utamur amicis:
 Nam genus hoc anceps assentarique paratum
 Fallere non metuit, quia non te, sed tua captat.
 Fortunæ comites, et prosperitatis amici,
 Dum manet illa, manent, et cum fugiente reco-

[dunt;

At quos virtutis nostræ trahit æmula virtus,
 Et morum concors species adamala bonorum,
 Qui non ut pecudem sic contemplantur amicum,
 Ut plaris faciant qui plus dabit emolumentum,
 Sed nos propter nos censeant et gratis amandos,
 Ut se propter se convincitur omnis amare;
 Hic genus est cum quo communia cuncta geramus:
 Quod nobis et cui nos nulla negare velimus,
 Et cum quo firmum manet per sæcula fœdus.
 Hanc etenim legem veris sancimus amicis,
 Ne quid turpe rogent, sese [f. cæce] faciantve ro-

[gati,

Sed neque sustineant quæ sint præstanda rogati,
 Dent ultro potius sibi congrua quæque vicissim.
 Ergo vir sapiens, quem diligat, eligat ante,
 Unanimemque sibi conformalemque futurum
 Indiciis studeat cautus prænoscere certis.
 Mercaturus equum prius explorare labores.
 Ne pede sit molli, ne sint exilia crura,
 Ne nimium tardo vincatur in æquore cursu,
 Neu frenum relinens parere recuset habenis,
 Et, cui te credas, non explorabis amicum?
 Ergo gravem, justum, fidumque legamus oportet,
 Utilibus qui non postponere possit honesta,
 (Utile si tamen est aliquid quod non sit honestum,
 Huic etenim tuto præcordia nostra patebunt,
 In quibus agnoscat quidquid cognoverit in se
 Dum tales erimus, qualem descripsimus ipsum,
 Nam nisi virtutis cultores simus uterque,
 Inter dissimiles poterit discordia nasci,
 Quæ veros nunquam turbare valebit amicos,
 Cum sit virtuti nunquam contraria virtus;
 At vitiosorum concordia sæpe vacillat,
 Ut si forte tenax nimis iste sit, ille profusus,
 Aut aliud discors vitium divellat utrumque,
 Utpote qui veri non esse probatur amici.
 Ex quo colligitur quod fœdera sola bonorum
 Nomen amicitiae vera ratione merentur,
 Namque malos socians concors sed iniqua voluntas
 Fictio jure potest vel conspiratio dici.
 Non igitur temere neque fortuito speciales
 Debet amicitias cum quolibet alter inire,
 Vulgares siquidem multas fortuna ministrat,
 Sed prius expertis primas concedere partes,
 At reliquis uti varios ut oportet in usus.
 Quod si contigerit vel nos examinatos

A Vel quos diligimus mores mutare priores,
 Nam quosdam tenuis servat fortuna modestos,
 Quos vel opes, vel honor si forsitan riserit, inflant,
 Aut aliæ plures faciunt desciscere causæ,
 Hos non continuo fas est ab amore repellit;
 Est adhibenda prius leviter correptio mitis,
 Mox etiam, si res petit, objurgatio dura,
 Quæ vitium feriens pedetentim parcat amico:
 Quem si constiterit vitio non posse revelli,
 Jam ne nos maculent hominis consortia fœdi,
 Fœdus amicitiae sensim sit cura reduci,
 Ut dissuta queant, non ut discissa videri.
 Nec subito bellum, vel jurgia suscipiamus,
 Cum quo juncta fuit nobis eademque vo-

[luntas;

B Nam quid turpe magis, quid tam recitabile vulgo,
 Quam prius unanimes odiis contendere duris?
 Sed si culpa gravis, vel publica commoda turbat,
 Nel nobis capitæ, seu famæ damna minatur,
 Qui modo amicus erat, decernere cogimur hostem,
 Et renovere manu stultissima vota procacis.
 Est igitur comitum perpes concordia felix,
 Quæ stat in adversis æqualiter, atque secundis;
 Sed quæ perpauca jam res probat esse fideles,
 Scilicet in pejus mundi vergente ruina,
 Et nihil absque fide tuum satis esse probatur.
 Suspectos opus est etiam patiamur amicos,
 Quis licet indignis vitæ tantum indiget usus;
 Sed nos infidam ne nil in corde geramus,
 Aut illis similes in fraudibus efficiamur:
 Curandum potius, nec dissimulanter agendum
 C Qualiter a vitio sictus discedat amicus
 Exemplo nostræ correptus simplicitatis,
 Quam tamen a damno solers astutia servat;
 Nam vel si nullum possis reperire fidelem,
 Nunquid vita placet sine qualidumque sodali?
 Hinc satis apparet quanti sit verus amicus,
 Et quam delectet cujus delectat et umbra;
 Sed quorum virtus animos sibi conciliavit,
 Virtutis studium veros conservat amicos,
 Quam Deus imprimis post se jubet esse colendam,
 Et sine qua verus nunquam reperitur amicus.
 Obtinet ergo locum Deitas super omnia primum,
 Proxima stat virtus, post quam numeretur amicus.
 Quo melius post illa duo nihil esse putamus.

CAPITULUM IX.

DE BONO MORTIS

D Humani generis gravis est et summa querela
 Quod nulli parcat duræ sententia mortis,
 Hanc omnis ætas, hanc sexus abhorret uterque.
 Hanc detestatur pariter cum paupere dives,
 Cum puero juvenis, vir cum senes, sanus et æger;
 Hanc indoctus homo summum putat esse malorum
 Omnia cum vita tollentem commoda vitæ;
 Hæc hominem pecudi pro parte corporis æquat,
 Dum simili tabo carnem dissolvit utramque;
 Et, quid plura loquar? mortis violentia desit,
 Reddita libertas perfecta videbitur orbi.
 Mortis quippe timor qui maximus esse timorem

Est igitur satius mortalia membra resolvi,
 Hocque timore malos duro quasi fune teneri,
 Quam, cessante metu, per tempora ducere vitam,
 Ac ruptis scelus omne ruens excurrere frenis.
 At quod de vitæ quidam brevitæ queruntur,
 Quale sit attendens, video ratione carere :
 Nam si propterea vivendi longa petuntur
 Tempora, ne pereat spatio fraudata voluptas,
 Expedit ut breve sit quod mens gerit improba
 [nempe

Majores pœnas diuturna libido meretur.

At bene viventis si mors cita præpedit actus,
 Justi post obitum voti manet integra merces.
 Nec nocet ergo bonis fragilis brevitæ vitæ,
 Et prodesse malis pœnas metuendo videtur.
 Unde patet neutris causam superesse querelæ.

CAPITULUM X.

DE RESURRECTIONE CORPORUM.

Quod latuit priscos hujus mundi sapientes,
 Qui cœli terræque plagas et tempora mensi,
 Rerum naturas se comprehendisse putarunt,
 Nobis certa fides visuque probata revelat,
 Ipso qui mortem destruxit testificante,
 Quod nova post cineres humana cadavera surgent,
 Et reparata caro jam finis nescia surget.
 Primitiæ Christus, dux et caput ipse piorum,
 De Patris ad dexteram prius ascendendo levavit,
 Et rediviva polo tandem sua membra locabit.
 Neve quis hæc aliis contingere posse negaret,
 Quod sibi concessit, qui solus criminis expers,
 Et Deus est et homo, vitæ mortisque magister,
 Jusserat extinctos reduces ad munera vitæ,
 Dum mortalis adhuc mistus mortalibus esset,
 Testari populo, quod spiritus et caro jungi
 Ut potuere prius, cum nondum juncta fuissent,
 Sic etiam post fata queunt diajuncta reduci ;
 Nec stat in alterutro gravior labor Omnipotenti,
 Filius hæc viduæ proles docet unica matri,
 Quem Deus a feretro, turba spectante, levavit.
 Lazarus hæc clamat, dum presilit a monumento
 1015 Velatus faciem, manibus pedibusque ligatis :
 Instita nec retinet, cui jussio fortior instat.
 Et ne desperet fragilis quoque talia sexus,
 Clausa puella domi verum rediviva fatetur ;
 Testis uterque parens, et turba domestica testis
 Hæc igitur spes est, hæc expectatio sola,
 Quæ consolatur multos magnosque labores,
 In quibus a miseris sub tempore vivitur isto.
 Ipsa metum mortis, pœnamque fidelibus aufert
 Excusatque, Domini ne sua videatur imago
 In nihilum redigi, frustra que fuisse creata,
 Si finis noster cinis est, vilisque favilla.
 Hæc nobis sancti tradunt credenda prophætæ.
 Job quoque vir patiens, contemplatorque futuri,
 Hac spe solatur percussæ vulnera carnis,
 Quod sua de tumulo caro, pellis et ossa resurgent,
 Viventemque Domini [f. Viventemque Deum] redi-
 [vividus et ipse videbit,
 Ad secreta poli semel et bis raptus, idipsam

A Affirmat Paulus, perhibens sermone fideli
 Mundo terribilem tubæ quod dabit ultima cantum ;
 Nec mora, defuncti scissa tellure resurgent,
 Occurrensque Deo pars in sublime teretur,
 Altera devexum captiva trahetur in orbem.
 Credere quid dubitem fieri quod posse probatur ?
 Quodque refert factum sacra pagina, quidni fu-
 [turum,

In quo consistit fidei vis maxima nostræ ?
 Cujus et ipse typum, naturæ munere gesto,
 Quaque die somno, ceu mortis imagine pressus,
 Rursus et evigilans veluti de morte resurgo,
 Ipsa mihi sine voce loquens natura susurrat :
 Post somnum vigilas, post mortis tempora vives,
 Clamat idem mundus, natura que provida rerum,

B Quas Deus humanis sic condidit usibus aptas,
 Ut possint homini quædam signare futura.
 Mutat luna vices, defunctaque lumine rursus
 Nascitur, augmentum per menstrua tempora su-
 [mens.

1016 Sol quoque per noctem quasi sub tellure
 [sepultus,

Surgens mane novus reditum de morte figurat.
 Signat idem gyros agitando volubile cœlum,
 Aera distinguens tenebris et luce sequente.
 Ipsa parens tellus, quæ corpora nostra receptat.
 Servat in arboribus vitæ mortisque figuram.
 Et similem formam redivivis servat in herbis,
 Nudatos foliis brumali tempore ramos,
 Et velut arentes mortis sub imagine truncos

C In propriam speciem frondosa resuscitat ætas ;
 Quæque peremit hiems nova gramina vire reur-
 [gunt,

Damna que temporibus restaurant pristina certis,
 Semina jacta manu sulcis moriuntur operata,
 Quæ velut e tumulis cito vivificata resurgunt,
 Ut suus incipiat labor arridere colonis.

Nos quoque spes eadem manet et reparatio vitæ,
 Qua revirescat idem, sed non resolvable corpus.
 An mihi subjectis data sit renovatio rebus,
 Totus et hanc speciem referens mihi serviat orbis,
 Me solum premat irreparabile damnum ;
 Et quid erit causæ modico cur tempore vivens
 Optima pars mundi, vitæ que datoris imago,
 Post modicum peream, sublata spe redeundi ?

D At pro me factus duret per sæcula mundus,
 Nonne putas dignum magis inferiora perire
 Irreparabiliter, quam quæ potiora probantur ?
 Sed tamen illa manent, ergo ægis ista manebunt.
 Præterea quænam ratio sinit ut bonus auctor,
 Cujus propositum fuit immortalia nobis
 Corpora largiri, supplendis apta ruinis
 Angelici casus, aut defecisse putetur,
 Aut quasi mente levis, quod tunc voluit, modo
 [nolle ?

Absit utrumque Deo, cujus tam fixa voluntas
 Ad bona quæ cœpit semel, est que plena potestas.
 Ergo nihil restat cur jam dubitare velimus
 Nos cum corporibus fructuros perpetuæ vitæ.